



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1847

XCVII. Der Castellan Alverich schenkt die Pfarrei in Milow dem Domcapitel in Brandenburg, am 7. April 1269.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54048](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54048)

igitur hec nostra donatio dicte ecclesie Brandenburgensi in perpetuum stabilis perseveret, ac etiam ut fiat personis ejusdem, ut predictum est, quoad temporale subsidium fructuosa, presentem conscribi fecimus et sigillorum nostrorum munimine roborari, adhibitis etiam testibus idoneis, quorum nomina sunt hec: predictus dominus Henricus Brandenburgensis episcopus, Lambertus prepositus ejusdem ecclesie, Petrus archidiaconus in Middenwalde, Johannes de Belitz, Johannes dictus Grabbo et Thidericus plebanus sancti Godehardi, dicte ecclesie canonici; nobiles viri dominus Walterus de Arnsten, dominus Guntherus comes de Lindowe, Bernhardus de Wardenberch et quam plures alii fide digni. Actum et datum Brandeborch, per manum Heidenrici plebani in Nowen, nostre curie notarii, anno domini M^o. CC^o. LXIX^o. XIII. Kal. Martis.

Nach dem Originalt.

XCVII. Der Castellan Alberich schenkt die Pfarrei in Milow dem Domcapitel in Brandenburg, am 7. April 1269.

— Nos Alvericus, dei gratia castellanus in Milow, omnibus in perpetuum, — parochiam in Milow cum omni juris integritate et libertate, que ad nos pertinebat, cathedrali ecclesie in Brandenburg dedimus et contulimus propter deum, renunciantes simpliciter omni juri, quoad patronatum ipsius ecclesie, quod habuimus in eadem — adhibitis nihilominus testibus idoneis, quorum nomina sunt hec: dominus Lambertus Brandenburgensis prior, Johannes Grubaw, Theodericus de Glinde, Nicolaus de Plawe, canonici ibidem dominus Walterus de Ponte et prefectus antique civitatis Brandenburg, Nicolaus Dives, Walterus Flamiger et quam plures alii fide digni. Acta sunt hec Brandenburg, anno domini M. CC^o. LXIX. VII. id. Aprilis.

Nach einer Copie im alten Copiarlo.

XCVIII. Lehnsrevers der von Alvensleben für den Bischof Heinrich von Brandenburg über einige Hebungen und Hufen zu Uhrsleben, vom 18. Mai 1270.

In nomine domini. Nos Gevehardus et Gevehardus ejus filius, dicti de Alvensleve, milites, recognoscimus et attestatione presentium attestamus, quod venerabilis in Christo pater, dominus Hinricus Brandenburgensis episcopus, III. choros tritici, XVI. solidos usualis monete, quos in oppido Ursleve ecclesia possedit et recepit annuatim, servos sue ecclesie, ibidem commorantes, nobis vendidit pro XIV. marcis argenti, inphodando nos de premissis, hac tamen conditione interjecta, quod bona premissa, si summa argenti prelibata nobis vel nostris heredibus ab ipso vel ab ejus successoribus fuerit integraliter restituta et soluta, Ecclesie Brandenburgensi dicta bona libere dimittentur, et ex tunc renunciabimus omnibus supra dictis eaque sine contradictione aliqua facienda, domino Hinrico Brandenburgensis episcopo, suisque successoribus promissimus fide data, nos nostrosque heredes sub ypotheca rerum nostrarum ad ea presentibus obligantes. Infuper recognoscimus,

Sauptth. I. Bd. VIII.

22